



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Qvæst. XIV. Vtrum intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem
sacramenti, differat necessariò ex parte obiecti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

actiones exteriores, vt plurimum exercent pueri, etiam eas, quarum vltiorem intelligibilem, ac spirituale effectum verè intendunt, maximeque desiderant; atque ita contigisse credendum est in baptismo Athanasij imitantis ioculariter adultos, simulque verè intendentis quidquid ipsi intenderent, ac perficerent. Iustificatio Sancti Genesij fuit miraculosa, & præter ordinarium prouidentiae modum, nec est ex se credibilior eo loci, & temporis idonea dispositio suscipientis illud baptisma, quam intentio ministri necessaria, Dicatur igitur, vel adfuisse nihilominus vtramque in vtroque ex peculiari Dei instinctu, & motione efficaci, vel Sanctum Genesium iustificatum fuisse, aut tunc per solam contritionem, aut postea per solum Martyrium. Nec enim omnino constat ex historia, vter ex his iustificationis modis interuenerit. Denique August. fallaciter datum, & fallaciter acceptum dicit baptismum, non quod sine vera, minimeque ficta intentione, sed quod sine fide datur, & accipitur, vt liquet clarè ex contextu.

Q V A E S T I O XIV.

Virum intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem sacramenti differant necessario ex parte obiecti?

Videtur, quod non. 1. Quia simplex propositum nullam inducens obligationem, & votum eandem inducens non differunt necessariò ex parte obiecti, ad quod directè feruntur; siquidem vtrumque concipi potest de eodem omnino opere præstando, & ex eodem prorsus motiuo, ac proinde differunt, vel certè differre possent, per solam supra se reflexionem diuersam; quatenus actus, quo simpliciter proponitur aliquid faciendum vult se non esse obligatorium; actus verò, quo idem vouetur, vult se esse obligatorium. Ergò sola simili supra se reflexione sufficienter etiam inter se distinguuntur intentio conferens valorem sacramento, & quæ eundem non confert.

2. Simplex apprehensio, & iudicium ab illa dependens nullam inter se distinctionem fortiri possunt ex diuersitate obiecti ab ipsis distincti. Quia quidquid cognoscitur per iudicium, necessariò supponitur præcognitum per simplicem apprehensionem. Quapropter solum differre possunt ex diuerso modo tendendi, quatenus iudicium repræsentat componendo, aut diuidendo idem obiectum, quod simplex apprehensio repræsentat incomplexè. Ergò intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem sacramenti differre solum poterunt ex solo modo tendendi absque vlla obiecti diuersitate.

3. Constat ex quaestione præcedenti intentionem insufficientem terminari posse ad materiam, & formam, & actiones serias circa vtramque. Nullum autem apparet obiectum, quod præter hac adicere, aut debeat, aut possit intentio sufficiens. Nam velle conferre gratiam non est necessarium; tum quia sacramentum potest validè perfici etiam ab infideli nullam habente cognitionem gratiæ supernaturalis, tum quia ad ponendam causam alicuius effectus à parte rei, non est necesse velle formaliter effectum eius, atque sacramentum est causa gratiæ. Nec illud satisfacit præscriptum à Concilijs supra, velle facere, quod facit Ecclesia. Quia nondum liquet, in quo differat ex parte rei, quod facit Ecclesia, ab eo, quod non facit, siue vltra quod facit; siquidem nullum est discrimen quoad exteriora, &

per se sensibilia. Iam velle operari nomine proprio, vel alterius scilicet Dei, aut Christi, quò recurrit Eminentissimus de Lugo, tanquam in terminos notissimos, & nemini ignoratos, obscurum reuera est quoad conceptum metaphysicum, nec facile extricatur cum quiete intellectus, vt apparet ex eodem auctore, disputat. 3. de Incarnation. sect. 5. vbi operose nititur exponere eos terminos. Satiùs igitur est, atque omnino necessarium dicere intentionem sufficientem ad valorem sacramenti, non necessario habere obiectum distinctum ab obiecto, cuius intentionis insufficientis, sed ab ea differre ex solo modo tendendi.

Respondetur. Constat ex quaestione præcedenti, Ministrum sacramenti non posse habere intentionem sufficientem ad eius valorem, nisi habeat sufficientem ad significationem eiusdem verificandam, & rursus sacramento significari gratiam, vt dispensatam, & donatam à ministro sacramenti, tanquam à causa libera, ac voluntariè cooperante ad existentiam gratiæ remittenti peccata, & reconcilianti eum Deo, vel simpliciter, vel secundum augmentum reconciliationis. Pater autem actionem inductiuam alicuius effectus essentialiter, & intrinsecè constitui, per intentionem eiusdem effectus, in ratione dispensationis, & donationis, & liberæ, ac voluntariæ cooperationis; remissionis peccati, & reconciliationis; neque denominari quemquam posse dispensantem, & donantem liberè, ac voluntariè aliquid cooperantem ad existentiam eius, remittentem peccatum, & reconciliantem eum aliquo; nisi hæc omnia verè intendat, nec ea eueniant purè per accidens respectu intentionis eius. Ergò intentio ministri sufficiens ad valorem sacramenti necessariò terminatur, vt ad obiectum proprium, non solum ad actiones exteriores circa formam, ac materiam, sed etiam ad gratiam vt inducendam per illas à ministro easdem exercente, quatenus minister Dei est. Ergò intentio sufficiens, & insufficiens differunt necessariò ex parte obiecti distincti realiter ab vtraque nempe intentioni complectenti totum obiectum, quod explicatum, & conclusum modò est necessarium, nihil deesse potest in ratione intentionis, quominus inducat atque constituat validum sacramentum.

Ad 1. Actus inter se similes, quatenus tendunt directè in obiectum distinctum realiter ab ipsis, non possunt euadere dissimiles inter se ratione vllius supra seipsum reflexionis. Quia actus reflectentes supra se comparantur secum, quatenus directè tendunt ad obiectum realiter distinctum ab ipsis, non secus ac comparantur, quatenus directi sunt cum eodem obiecto realiter ab ipsis distincto. Ergò tam impossibile est actus, quatenus reflexos, euadere inter se dissimiles, si supponantur similes inter se, quatenus directi sunt; quam est impossibile, illos esse dissimiles inter se, quatenus directi sunt, si obiecta ab ipsis realiter distincta sunt inter se similia; Nempe, vt reflexiui sunt, feruntur in seipsum, vt directi sunt, atque ex seipsum specificantur; sicut feruntur in obiecta realiter distincta, atque ex eisdem specificantur, vt directi sunt. Quare negatur antecedens. Vouens enim vult amissionem vltimi sui finis, seu beatitudinis, si faciat oppositum voti. Vult enim se obligari in conscientia; atque obligari in conscientia consistit formaliter in amissione conditionata vltimi finis. Proponens autem simpliciter, id ipsum non vult, quia non vult se obligare in conscientia; quod idem discrimen redditum, & fufius expositum est in quaestione. 21. de act. hum. ab art. 6. circa præceptum, & consilium.

Ad 2. Quod est modus essendi in rebus purè physicis, est modus tendendi in intentionalibus, quare sicut

sicut dicere duas aliquas entitates purè physicas esse diuersas ex modo essendi nihil est dictum, & perinde valet ad intelligentiam rerum, de quibus agitur, atque si præcisè diceretur esse diuersas, seu alteri earum inesse aliquid, quod non inest alteri, atque oportet hoc aliquid ulterius determinare, ac explicare, ut aliquid vtiliter agatur; ita etiam nihil est dictum, duos actus, seu intellectus, seu voluntatis differre inter se ex modo tendendi, respondetur enim per genus, quando quæritur de specie. Quod attinet ad simplices apprehensiones, ac iudicium ab eis dependens, certum est differre realiter ex parte obiecti inadæquati, quia iudicium ultra obiectum simplicium apprehensionum, cognoscit ipsas simplices apprehensiones, earumque, & sui conformitatem cum obiecto, siquidem illi assentiatur, prout in iisdem apparet; si verò dissentiat, cognoscit earundem cum eodem disconformitatem. Qui enim assentitur, vel dissentitur obiecto sibi proposito, necesse est, ut indiuisum feratur in idem obiectum, & eius propositionem, & ut utrumque inuicem conferat. Videatur D. Thomas prima part. q. 16. art. 2. cap. ad med. & 1. 2. quæstion. 17. art. 6. cap. & ad 1. Istæ igitur paritates, aliæque similes, de quibus longum est dicere in particulari, sunt potius vtiliter ad distinctionem intentionum, de quibus disputatur ex parte obiectorum, pro qua tamen distinctione, data est specialis ratio pro re nostra.

Ad 3. Iam assignatum est obiectum intentionis sufficientis ad valorem sacramenti realiter superadditum ultra materiam, & formam, & actiones circa utramque. De reliquis, quæ ibi adiunguntur innotescet quæst. seq. Hoc vnum obseruandum modò est; non posse poni à parte rei causam proximam effectus habentis rationem liberæ, ac voluntariæ dispensationis, remissionis, ac reconciliationis, & non potius existere sine hac ratione, & denominatione; quin intendatur ipse effectus secundum se. Quia ab huiusmodi solum intentione rationem illam formalem, ac denominationem fortiri potest. Ostensum autem est ministrum sacramenti eo modo posse, & non aliter conferre gratiam.

QVÆSTIO XV.

Virum sufficiat ad valorem Sacramenti intentio solum virtualis, vel habitualis illud perficiendi?

Videtur utramvis sufficere utcumque conceptam. 1. Quoad virtuale, tum quia intentio virtualiter in se continens intentionem formalem, habet virtutem eandem, quam habet formalis, eidemque æquualet; tum quia infidelis potest validè perficere sacramentum, ut dictum est super ex Augustino, nec potest in dubium reuocari; & tamen non potest infidelis concipere intentionem formalem, aut conferendi gratiam, aut perficiendi sacramentum; utpotè nullam habens explicitam cognitionem donorum supernaturalium, institutionis sacramentorum, aut gratiæ. Habitualement verò sufficere constat: tum in genere, quia voluntas actualiter semel habita, & non retractata æstimatur interim pro actuali, eisdemque vniuersaliter effectus morales sortitur, ac si actualiter semper adesset: tum in particulari, quia voluntas applicans valorem sacrificij, aut aliorum operum, in finem determinatum, sortitur effectum applicationis, dummodò non retractetur, tamen si actualiter non adsit, dum perficitur sacrificium, aut opus merito-

rium. Eadem autem videtur esse ratio de voluntate perficiendi sacramentum, & exequendi actiones exteriores ad illud pertinentes, eo fine; ut ipsum perficiatur validè, atque effectus eiusdem obtineatur.

2. Pro sufficientia tam virtualis, quam habitualis intentionis adest consideratio magni ponderis, nimirum ex quo ministerium sacramentorum commissum est hominibus, videri acceptatum esse, ut sufficientem modum operandi humanum familiarem, ac ordinarium. Modus autem operandi ordinarius apud homines est, ut fines præsertim eos, quorum explicita, ac formalis apprehensio est difficilis, & valde abstracta, intendat implicitè tantum, ac virtualiter; utque post illos semel præipientos, actiones deinde exteriores ordinatas ad ipsos exequantur absque actuali ad eosdem aduententia. Ergò hic modus operandi credendus est sufficiens pro valore sacramenti.

3. Idem vrgetur ab inconuenienti: Quia ex proposito sequeretur, nimium frequenter sacramenta perfici inualidè, propter imbecillitatem, & facilem diuersionem mentis humanæ, impotentis proinde moraliter, ut formaliter, & actualiter, explicita, ac immobili semper intentione feratur in finem spirituales operis exterioris præsertim supernaturalem, & vsque adedè eleuatam; atque est infusio gratiæ.

Sed contra est quoad intentionem virtuale. Quia qui vult causam necessariam alicuius effectus, eo ipso vult virtualiter ipsum effectum, tamen si eius intentio non attingat eundem immediatè. Sacramentum autem est causa necessaria gratiæ; & dictum nihilominus est quæst. præcedenti necessariam esse pro eius valore intentionem quæ immediatè feratur in gratiam. Ergò non sufficit intentio virtualis.

Contra similiter est, quoad habitualement. Quia intentio ministri debet esse causa actionum exteriorum sacramentalium, eas inducens vi sua. Intentio autem habitualiter tantum perseverans nullam potest exercere causalitatem mouendi, & applicandi potentias exteriores.

Art. 1. Respondetur. Intentio virtualis, & habitualis non vsurpantur eodem sensu ab omnibus, nec ab iisdem semper. Indigent proinde distinctione, & expositione. Intentio, quæ dicitur virtualis, & implicitè respectu alicuius obiecti, aut prædicati, necessario est formalis, & explicita respectu alicuius alterius obiecti, aut prædicati. Similiter quæ habitualis est, complectitur in ratione talis per aliquid actuale, tunc actualiter existens, cum illa habitualiter existit. Quidquid enim verè dicitur, dicitur utique per enunciationem formaliter, & actualiter veram, ideoque habentem obiectum quod formaliter, & actualiter sit verum in se pro ea duratione, pro qua significatur per eandem enunciationem; quandoquidem veritas enunciationis dependet à veritate obiecti, prout enunciatum per ipsam. Consistit enim essentialiter in conformitate cum obiecto; in eo videlicet, ut obiectum habeat in se veritatem, transcendentalem, & entitativam, qualem habet intentionalem, & representativam in cognitione. Omnis igitur cognitio formaliter, & actualiter vera habet obiectum formaliter, & actualiter verum in se pro ea duratione, pro qua per ipsum representatur, ac enunciatum; ac proinde habet obiectum, quod formaliter, & actualiter detur à parte rei pro eadem duratione. Quia vnumquodque ita se habet ad verum, sicut se habet ad esse, ut habetur ex Diuo Thoma 1. par. quæst. 14. art. 9. & 10. atque ut dicit Aristoteles 2. Met. text. 4. dispositio rei in esse est, sicut sua dispositio in veritate. Vnde nihil potest esse veritatis intentionalis, aut fundamentum, aut terminus, aut complementum, quin sit in se formaliter, habeatque formaliter, & actualiter in se esse, quale enun-